



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quæ ætas requiritur in præficiendis, seu promovendis ad beneficia
Ecclesiastica, & quis in illa dispensare possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS XIV.

DE ÆTATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

§. I.

De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia, præsertim curata in genere.

EX dictis jam patet, quod in omnibus promovendis ad beneficia requiratur, scientia conveniens officio, morum honestas, & legitima ætas, prout etiam patet ex c. eam te 4. h. t. ita tamen, ut qui dignus & idoneus censetur ad sacros ordines suscipiendos, regulariter etiam idoneus censendus sit ad beneficium Ecclesiasticum, prout sumitur ex c. accepimus 13. h. t. (nisi post ordinationem, nova primùm causa superveniret, quæ indignum ad beneficium legitime ordinatum faceret) neque talis pro ordinibus ab Episcopo examinatus, iterum ab eodem pro beneficio (cæteris paribus) est examinandus, nisi ratio & qualitas beneficii majorem idoneitatem requirat.

§. II.

Quæ ætas requiratur in præficiendis, seu promovendis ad beneficia Ecclesiastica, & quis in illa dispensare possit?

Quamvis de jure naturali illa ætas ad beneficium requiratur, quæ necessaria est, ad exequendum officium, propter quod illud datur, prout sumi potest Compend. Pirhing.

ex c. 3. h. t. de jure tamen positivo certa ætas ad pleraque beneficia statuta est, ita ut ipso jure nulla sit collatio beneficii, ante requisitam ætatem facta. Requiritur autem certa ætas nonnunquam per se, & directè, prout beneficium curatum exigit, 24. annos completos; nonnunquam per accidens, & consecutivè, prout ad Canonicatum illa ætas requiritur, quam requirit ordo Canonicatus tali annexus. Differunt quidem in plerisque jus antiquum, & jus novum Tridentini; hodie tamen, ubi Tridentinum peculiare quid à jure antiquo statuit, sequimur jus Tridentini, ita tamen, ut salutum maneat jus antiquum, ubi Tridentinum nihil peculiare statuit. Sic primò ad Cardinalatum, & Episcopatum requiritur ætas 30. annorum completorum, prout sumitur ex Trident. sess. 24. c. 1. de refor. secundò ad dignitates, & personatus, quibus nulla animarum cura subest, volunt aliqui de jure antiquo 14. annum sufficere c. indecorum 3. h. t. Alii volunt requiri 25. annos saltem inchoatos c. cum in cunctis 8. inferiora de elect. & c. uni. h. t. in 6. juxta Tridentinum tamen, quod hodie observari debet, sufficiunt, & requiruntur anni 22. completi, sive dignitates illæ & personatus sint Ecclesiarum Cathedralium, sive Collegiarum, cum jura universaliter loquantur. Terriò: ad Ecclesias Parochiales, & Vi-

& Vicarias perpetuas Ecclesiarum Parochialium requiritur aetas 25. annorum, saltem inchoatorum, ut patet ex c. nemo 15. de elect. in 6. & ex Clement. uni. de offi. Vicar. 3. quae aetas non requiritur in eo, cui Ecclesia Parochialis administranda seu in commendam conceditur. Penitentiarius tamen in Ecclesiis Cathedralibus debet esse annorum 40. juxta Conc. Trident. sess. 24. c. 8. de reform. 4. Ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium de jure Trident. sess. 24. c. 12. de reform. (quidquid sit de jure antiquo) requiritur illa aetas, quam Ordo Canonicatus annexus requirit; & cum in nostra Germania tales Ordines per se annexi non sint pluribus Canonicatibus, nisi vocem velint habere tales Canonici in Capitulo, hinc sicuti ad Canonicatus Ecclesiarum Collegiarum, & aliorum beneficiorum simplicium, sufficiunt 14. anni, saltem inchoati, ita hi videntur etiam sufficere in nostra Germania ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium; quod videtur etiam probari posse ex Trident. sess. 23. c. 6. de reform. ex quo Concilio sess. 24. c. 12. de reform. etiam habetur, quod Episcopus dispensare non possit super aetate ad obtinenda beneficia requisita, nisi certa aetas ad obtinendum beneficium ex peculiari tantum diocesis v. g. statuto requiratur, aut si aetas certa tantum requiratur ratione ordinis tali beneficio annexi; sicuti etiam in statutis à se vel ab antecessore suo factis dispensare potest, & sicuti dispensare potest in ordine per accidens requisito, ita potest etiam in hoc statuto super aetate requisita.

§. III.

Qua scientia in promovendis ad dignitates, & alia beneficia Ecclesiastica sit necessaria?

IN genere dici potest, quod ea scientia requiratur, quae ad officium beneficium annexum ritè obeundum necessaria est; qua si caret illiteratus, etiam acquisitis beneficiis privandus est c. fin. h. t. & si penitus illiteratus sit, ipso jure est nulla beneficii collatio, prout etiam patet ex Canone primo dist. 36. & quamvis spectato jure communi antiquo non requiratur ad ullum beneficium gradus aliquis Doctoratus vel Licentiae, ex decretis tamen Concilii Trident. debet esse Doctor vel Licentiatu Theologiae aut juris Canonici, inprimis Episcopus (vel saltem publico Academiae alicujus testimonio, aut aliter idoneus ad alios docendos, quod etiam de aliis intelligi debet) sess. 22. c. 2. de reform. Secundò Archidiaconus (Principalis Ecclesiae Cathedralis, si curam animarum, & jurisdictionem fori externi contentiosam habeat, quae hodie plerumque Vicario generali competunt) sess. 24. Trident. c. 12. §. Archidiaconi. Tertio Scholasticus, si per se ipsum munus id expleat sess. 24. c. 8. Et quinto denique Vicarius vacante sede eligendus, sess. 24. c. 16. quia ad hoc etiam c. 12. hortatur Trident. ut in Provinciis, ubi commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis in signibus, conferantur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatu in Theologia vel jure Canonico.

§. IV.